



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum V. Conjugatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

periculo continentiae positus, tunc ingressus in Monasterium revocari potest, uti videre est apud Sanchez L. 7. D. 33. n. 6. si professio nondum edita est: sin vero edita, revocari non potest, quia conjux, dummodo conscientia juris fuerit, mulier v. g. censetur se obligasse, ut & ipsa Monasterium ingrediatur, sicut jus in hoc casu requirit: si vero senex sit, & extra periculum incontinentiae, tunc ad perpetuam continentiam in saeculo servandam se obligare debet, postquam consentit, ut conjux alter profiteatur, juxta citatum cap. Agathosa, & vide, quae dixi cit. p. 3. c. 7. n. 5.

Limita secundò. Nisi conjux in saeculo manens adulterium commiserit; in hoc casu conjux innocens, cum à debito conjugij reddendo liberatus sit, Religionem profiteri potest, etiam invito conjuge adultero. Ita habetur in cit. c. Agathosa juncta Glossa, V. vel ipsa, & docui cit. capite 7. v. 7.

CAPITULUM V.

Conjugatus.

PARAPHRASIS.

Nullus conjugatus ad sacros Ordines promovendus est, nisi uxor licentiam dederit, & continentiam voverit. Intellege hac in casu, si uxor senex sit, & extra incontinentiae periculum; alioquin verò Religionem profiteri debet, postquam marito licentiam dedit, sacros accipiendi Ordines. Ita Glossa hic. V. ab uxore, & docui in citato capite 7. n. 6. & dicitur in c. uxoratus 8. hoc tit.

CAPITULUM VI.

Sanè.

PARAPHRASIS.

Si conjugatus ordinari cupiat, uxoris voluntas requirenda prius est, ut sequestrato mansionis cubiculo, postquam pariter conversi sunt, ordinentur, uxor, &

maritus: alioquin prohibetur, ne conjugatus Episcopus consecratur, nisi uxor continentiam prius professas, factum illud velum imponat, & religiosam vestem induat.

SUMMARIUM.

Conjugatus, ut ordinari possit Episcopus, quid ex parte uxoris requiratur?

Notandum. Conjugatus ordinari non potest Episcopus, nisi uxor Religionem profiteatur; & ideo in hoc casu satis non est, uxorem in saeculo manentem votum continentiae edere. Quae est communis doctrina apud Sanchez L. 7. de matrimonio, D. 41. & secutus sum citato capite 7. n. 6. Rationem dat Abbas hic. n. 2. ne aliquis uxor mulieribus associata Episcopatum obtinet, & gratias ad ditandos conjugios in saeculo impetret. Haec ratio locum habet secundum hujus Ecclesiae praxim; ut veteri veteri Ecclesia constat, uxores à maritis ad Episcopatum evectis separatas non fuisse, nisi mansionis cubiculo, uti etiam ex hoc colligitur, & docui L. 5. tract. 9. c. 11. n. 5. & 6. Videri potest Baronius t. 1. ad annum 34. Interim credibile est, velum professionis accepisse, cum tribus Religionis votis, ab Episcopo editis: rationem dare possumus ex praestantia dignitatis Episcopalis, ob quam decebat conjuges, quatenus earum sensus permittit, etiam ad perfectionis viae debitum assumptas, & ideo sanctionales de Religionem professas, insuper ad ministerium aliquod Ecclesiae circa mulieres constitutas esse.

CAPITULUM VII.

Ex publico.

PARAPHRASIS.

Rescribit Pontifex, mulierem, quae ab Episcopo excommunicata fuerat, quod ad meritum redire nollet, absolvendam esse, si à viro discessit ante matrimonij consum-